UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacrificio Missæ Expedite Celebrando Libri III

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1661

Super illud (Districte prohibet &c.) ubi vetatur Episcopis ne reducant onera Missarum §. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41878

Visual Library

42. Ad Decimum tertium, comprehendi.

43. Ad Decimum quartum, non posse, nisi de consensu eorum, qui elemosinas tribuunt, ut supra, in responsione ad undecimum.

44. Ad Decimum quintum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

§. II.

Super illud §. Primin 7. Districte prohibet, &c.

Ubi vetatur Episcopis, & Generalibus ne reducant Onera Missarum.

1 CAsus est hujusmodi in Ecclesia v. gr. Sancti Petri adest obligatio singulis diebus celebrandi unam, vel plures Missas, sed deficientibus propter varios casus reddibus ad hunc finem assignatis, facto computo, nunc non sufficit

pecunia, nisi ad duas Missas in hebdommada, Quæritur, An Episcopi, & Generales Religionum, respectivè pro suis, hodie (nam olim poterant ex Tridentino a) possint statuere, ut, omissis ceteris, duæ prædictæ Missæ dumtaxat celebrentur?

Sacra Congregatio respondit supra n. 7 Non posse, sed esse ad Pontificem recurrendum.

2 Et quia quæsitum fuit, an quando ita tenue est, vel evasit legatum, seu redditus, ut nõ inveniatur Sacerdos, qui velit tantum onus cum tàm parva eleemosina subire: & si recurratur ad Pontificem, totum vel magna pars redditus, in necessariis expensis, consumenda sit, an inquam, tunc, possit Episcopus? Respondit eadem Congregatio supra §. 1. num. 20. adhuc esse recurrendum ad Pontificem, & tunc solum posse Episcopum, quando ipsa Beneficii erectione fuit fortè expressè

a Concil. Trid. sess. 25. de ref. c. 4.

pressè concessum, ut id Episcopus posset.

Vnum, quod huc facit, dicam infra §. 3. n. 88. & 89.

Quæ onera Missarum reduci prohibentur, & an etiam præterita?

3. CIrca quæ adhuc dubitabis? Primo de quibusdam oneribus hic agatur, quæ nec reducere in minus, nec moderari, nec commutare Episcopi, aut Generales hodie possunt?

Respondeo primo, intelligi etiam de præteritis ante promulgationem horum decretorum, nec solum de oneribus in futurum suscipiendis. Ratio est, quia sic expressè *a* declaravit Sacra Congregatio; ibi: Epi-

a Iuxta leges C. de legib. ibi leges futuris ante formam negotiis non ad facta præterita revocantur, nisi nominatim de præterito cautum sit.

scopi ne reducant ulla onera Missarum, aut post Concilium Tridentinum imposita, aut in limine fundationis. Nota illud *imposita*, quod est præteriti temporis. Rursus, ibi. *Ut absolutè tot Missæ dicantur, quot fuerint præscriptæ, quamvis stipendia sint exigua sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerint, aut onferentur in futurum.* Nota illud *Collata fuerint*, quod item est præteritum. Quòd autem contrarium in Sicilia practicari Peyrinus *a* asserat fortè est, quia quoad hanc partem acceptata ibi hæc decreta tunc non fuerunt juxta communem doctrinam *b* docentem posse acceptari, ut & abrogari aliquam legem secundùm unam partem, non secundùm aliam. Dixi *tunc* & fortasse solum in sua Religione Minimorum, nam apud Sacerdotes sæculares jam nunc

a *Peyrin t.3. c 1. n.29.*

b *Bonacin de legib à 1. q 1. p. 4. n.10. alios citans.*

nunc acceptata in omnibus esse communiter animadverto.

Respondeo Secundo, intelligi de omnibus, atque adeò de oneribus, quæ sunt affixa quomodocumque Capellis, vel Ecclesiis, de oneribus ex Beneficio, de oneribus ex legato, & breviter ex quacumque causa vel titulo. Patet id ex verbis universalibus Decreti restringentis potestatem, qua olim prædicti poterbantur.

4. Immò si legatum non sit sub obligatione applicandi Sacrificium pro aliquo, sed solũ sub obligatione celebrandi in tali loco, vel Altari, vel in tali tempore, nec sufficiat legatum, unde oporteat moderationem adhibere, adhuc ad Pontificem erit recurrendum. Ratio est, quia, ut diximus, verba Decretum universalia sunt, & ex alia parte, cũ Accessorium sequatur Principale, hæ autem circumstantiæ, seu onera sint Accessoria ad Missam, conse-

a *March. de Ord. tr. 3. p. 2. c. 9. n. 30.*

quenter, sub eodem Decreto de moderatione Missarum, comprehenduntur.

5. Quid si sit Anniversarium Defunctorum? Respondeo, adhuc regulariter comprehendi sub Decreto, nam vel Anniversarium ejusmodi est, ut dicantur, singulis annis Missæ: & tunc expressè includitur in verbis illis Decreti (*onera talia Missarum*) vel ut dicantur Missæ, & itidem Officia Defunctorum, ac distribuantur eleemosinæ pauperibus, & similia: & tunc quia hæc omnia se habent per modum unius, posito quod non possint Episcopi, & Generales reducere onera talium Missarum, nec poterunt moderari prædicta Officia, & Eleemosinas. Adde, quod hæc videntur accessoria ad Missas, quæ in Anniversariis ejusmodi principalius intendantur. Solū posset esse aliquis rarus casus, propter quem modo addidi illud (*regulariter*) quando scilicet tale Anniversarium ex voluntate Testato-

Testatoris solum consisteret in Officio Defunctorum, vel in distributione Eleemosinæ, sive celebratione ullius Missæ, & tunc puto, quod non includitur in prædicto Decreto, atque adeo Episcopi, & Generales poterunt illud reducere, sicuti poterant ante hoc Decretum, & concessit illis juxta antiqua lura, a Tridentinum. b Ratio est, quia in hoc Decreto Sacræ Congregationis, solum vetatur Episcopis & Generalibus, ne reducant onera Missarum: At jam tale Anniversarium, de quo loquimur, nullum includit onus Missarum, ergo remanent dicti Episcopi, & Generales, quoad hoc, in concessióe Tridentini. Diana c igitur, aliiq; apud ipsum, quia non meminerunt hujus rari casus, ideo universaliter docuerunt comprehendi Anniversaria, & Officia

a *Apud Marc. de ord. tra. 1. p. 2. c. 19. n 2.* b *Triden sess. 25. de refor. c. 4. ibi circa hæc; id est legata* c *Diana p. 2. tr. 14. res. h.*

defunctorum. Monent autem recte aliqui *a* reductionem compensandam esse cum aliquo alio opere, celebrando v. g. aliquam Missam in generali pro omnibus illis Fundatoribus, vel recitando aliquam Orationem, vel Collectam &c. ut scilicet quantum potest minus defraudentur Fundatores.

6. Rogas: Episcopi, & Generales, in hoc raro casu, & in casu mox explicando n. 8. hanc Officiorum reductionem debentne facere in Synodo, vel Capitulo? Respondeo debere, & quidem ita, ut semper in posterum commemoratio in Officio fiat eorum, qui legata reliquerunt. Ratio est, quia Concilium Tridentinum *b* ita illis injungit, his verbis: *Sancta Synodus cupiens hæc ad pios usus relicta, quo plenius, & utilius potest impleri, facultatem dat Episcopis, ut in Synodo Diœcesana, itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, ut*

a *Naldus v. Miss. num.* 10. aliique
b *Trid. sess* 25. *cit de refor, c.* 4.

ut in suis Capitulis Generalibus re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia statuere circa hæc quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, & Ecclesiarum utilitatem viderint expedire, ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ad pios usus reliquerunt.

Vbi Nota Primò, quòd esto ante Concilium, iis licuerit extra Synodum, vel Capitulum; hodie tamen (nisi alicubi in hoc non fuisset Concilium receptum) non licet. Quare non est audiendus Rodriquez, [a] dum absolutè docet, quòd Episcopus etiam absque Synodo, exercere hanc potestatem valet, ut Recentiores consulti subscripserunt; non est, inquam, audiendus, quia clarè contrarium præcipitur à Tridentino: nisi fortè dicas (atque id Rodriquez intellexerit) talem reductionem factam extra Capitulum, vel Synodum, licet illicitè factam, esse

[a] *Rodriq. in Comp. tes. 25. n. 11.*

tamen validam, quod certè est probabile, quia nulla est in his Concilii verbis clausula irritans factum.

Nota Secundo, id fieri quidem debere in Capitulo, seu Synodo, sed non necessario ex consensu Capituli, ut ex verbis Concilii patet: licet sit optimum consilium, ut res maturius procedat, illius etiam consensum accedere.

Nota Tertio, posse Episcopum, seu Generalem hanc suam potestatem alteri delegare, qui id, modo dicto, faciat in Synodo, seu Capitulo. Ratio est, quia cum hæc causa sit commissa Episcopis, & Generalibus sub nomine a dignitatis, non est electa industria personæ, & cum commissa sit iis omnibus in futurum, est potestas ordinaria, atque adeo delegabilis.

De

a *Sanchez c. 2. de vitr. d. 2. num. 17. aliique.*

De oneribus Missarum ante Tridentinum.

7 DVbitabis secundò, an Episcopi, & Generales possint reducere ad minorem summam Missas, quæ fuerunt impositæ, seu relictæ ante Concilium Tridentinum. Diana, *a* Marchinus, *b* aliique apud ipsos absolutè respondẽt, posse, quia Decretum solum verat, nè possint impositas post Concilium.

Sed enim vero hi Doctores debuerunt id addere, quod additur à Decreto, quod, dũ verat, ne possint impositas post Cõcilium, addit, absolutè, quod *nec possint impositas in limine fundationis.* Si ergo hæc onera imposita fuerint in ipso initio fundationis, seu erectionis Beneficii vel Capellaniæ, & non processu rẽporis, (quod secundũ potuit evenire, si quando auctis v. g. redditibus,

a *Diana p. 2. tr. 14. res 2.* b *Marchi de ord. tra. 3. p. 2. c. 19. n. 31.*

aucta fuissent ab Episcopo & illa onera) non poterunt ab Episcopis, & Generalibus reduci, quamvis fuerint imposita ante Concilium. Verba absoluta Decreti allata supra §. 1. n. 7. sunt hujusmodi. *Ne Episcopus, aut Generalis reducat onera Missarum celebrandarum, aut post Concilium Tridentinum imposita, aut in limine fundationis.*

8. Relicta in ultimis voluntatibus, ac testamentis per modum legati, si fuerint acceptata ante Tridentinum, poterunt etiam à dictis reduci, quia solùm Beneficia; & Capellaniæ propriè dicuntur habere limen fundationis, non autem mera legata: At verò si ejusmodi legata, vel quæcunque eleemosina manualis sint acceptata post Tridentinum, reduci non poterunt; quia de acceptatis post Tridentinum Congregatio universaliter loquitur sub nomine oneris Missarum, talia autem legata, vel eleemosina onus certè est.

Modus

Modus reducendi prædicta acceptata ante Tridentinum, est idem, de quo modo diximus n. 6.

Vnum denique addo, quòd si Episcopus impetraret privilegium reducendi onera suæ Diœcesis, posset *a* etiam reducere onera suscepta à Regularibus. Ratio est, quia etiam hæc sunt onera suæ Diœcesis licèt non suæ subjectionis. Adde, quòd sicut in Iure *b* Ordinarius loci exigit ab Religiosis exemptis rationem de executionibus testamentorum, atque adeò in hac re subsunt dicti Regulares Episcopo, ita in eadem re ejusdem privilegio frui convenientissimum est.

De Oneribus Missarum nondum acceptatis.

9 DVbitabis Tertiò, An Episcopis liceat moderari Missas alicui Ecclesiæ, sive ante, sive

a Bordon. ref. 25. *b* Clem. de Testamentis.

post Tridentinum relictas, nondum tamen, sive ob tenuitatem eleemosinæ, sive ob aliam causam, abeadem Ecclesia acceptatas,

Respondeo, non esse improbabile licere. *a* Ratio est, quia decretum verat, ne Episcopi moderentur onera Missarum imposita, at onus nondum acceptatum, non dicitur propriè fuisse impositum.

10 Rogas: legatum Missarum frequenter non est relictum Ecclesiæ immediatè, sed alicui Sacerdoti nominando, sive ab Episcopo, sive etiam à persona sæculari, seu fidei commissario juxta dispositionem testatoris. Iam potest contingere, primo, quod ipso initio Sacerdos primus nominatus non acceptet tale legatum. Secundo, quod hic primus Sacerdos acceptet quidem, verum, hoc mortuo, secundus nominatus, propter tenuitatem legati fortasse supervenientem acceptare recuset, Rogas, inquam, est ne probabile

a March, ibid. n. 32.

babile in utroque hoc casu, Episcopo licere Missas ex prædicto legato dispositas moderari ex eo, quia nondum sunt acceptatæ?

Respondeo in priore eventu probabile esse licere, quia verè onus nondum est impositum, cum simpliciter nondum legatum sit acceptatum. In posteriore eventu, puto, nequaquam licere; idque propter contrariam rationem, quia fuit acceptatum per primum Sacerdotem, atq; adeo onus simpliciter fuit impositum: Nec enim non acceptatio secundi Sacerdotis potest facere, quin fuerit ab Ecclesia, mediante primo Sacerdote, acceptata.

De justis causis reducendi.

DVbitabis Quarto; quænam judicandæ sint justæ causæ, propter quas legitimè fiat à Sacra Congregatione Cardinalium ejusmodi Missarum moderatio?

ratio? Respondeo esse sequentes, & v. l similes. Primo, si lapsu temporis redditus Ecclesiæ, seu Conventus sint imminuti. Secundo, si expensæ majores nunc fiant in pertinentibus ad Missam, quam anteà, puta in emendis paramentis vino, pane, & aliis similibus. Tertio, si numerus Religiosorum sit notabiliter minor, unde non valent integro Missarum numero satisfacere, & ex alia parte non possit augeri talis numerus ob defectum eleemosinarú. Quarto, si eleemosina relicta sit valde tenuis, Quinto, si nunc ea, quæ pertinent ad victum, & cultum Sacerdotis, sint multò majora, quàm anteà, quando fundata est Missa. Sexto, si ad reficiendum Molendinum v. g vel domum unde fructus pro Missis solvendi sunt, factæ sint extraordinariæ expensæ, vel ad litigandum &c.

12. Illud notat rectè Navarrus a faci-

a *March. de ord. tr. 1. p. 2. cap. 19. n. 26.*

a facilius posse minui Missas liberè in sua fundatione relictas, quàm illas, quæ determinatis Capellis sunt affixæ, & facilius item antiquiores, quàm recenter accepratas. Ratio est, quia & illa libertas dat sine dubio majorem facilitatem, & in antiquis facilius inveniri possunt prædictæ causæ justæ, hoc est, numerus Sacerdotum diminutus, redditus attenuati, aucta rerum pretia, &c.

Porrò talis reductionis Praxis, qua in hac re Sacra Congregatio utitur, videatur, si est otium, apud Lezanam. a Lege item Bordonum, b qui rectè admonet in legato simplici Missarum Sacram Congregationem concedere quidem reductionem, non verò in legato conventionali, quia hoc fortius est, in quo interceßit conventio partium.

§. III.

a *Navar. de Miss. celebr. cons.* 9. *n* 9. *& cons.* 11 *per totum*. b *Lez. v. Missa n.* 11. c. *Bordonus Res.* 21. *n.* 41. *&* 43.